

73.

Ultimus honor,

Quo

*Adolescentem, Virtute, Vita sanctimonia, & morum  
elegantia præstantissimum,*

# JACOBUM HENRICUM KELBELIUM,

*Inopinata morte, sed beata, die XX. Augus*ti**

*Anno 1710. defunctum,*


*Suum olim in vita commilitonem dilectissimum matare,  
Mæstissimamq; Matrem, Fratrem, cæterosq;*

*Amicos, obitum*

*Illiis lugentes solatio erigere*

*voluerunt*

*CURIÆ SECUNDÆ CIVES.*



THORUNII,

Impressit JOANNES NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNASII TYPOGR.

**S**Icine dispereunt resonantis Sidera plausus,  
Tristitia que tegunt nubila saeva caput?  
Siccine deficiunt jucundæ dona quietis,  
Dextera nosque DEI nocte dieque gravat?  
Siccine, deposita clementi mente, JEHOVA,  
Irascens iræ fulmina dira jacit?  
Sicne valetudo quovis pretiosa thesauro  
Concidit ac terret saeva gravisque lues.  
Nondum cessarunt truculenti prælia Martis,  
Vix licuit Pacis carpere dona sacræ  
Jam rursus miseris tristissima fata fatigant,  
Rursus falce metit corpora pestis atrox.  
Olacrymæ! lacrymæ faciem conspergite nostram!  
Quo deploremus talia fata satis.  
O truculenta lues! Tu nulli parcis honori,  
Tu jugulas quosvis, o truculenta lues!  
Tu senibus juvenes æquas rudibusque peritos,  
Justos, injustos morte furente rapis.  
O quantas lacrymas mortalibus elicis ipsa,  
Omnia conjunctim pectora mæror habet,  
Hinc marent claris viduatæ civibus urbes,  
Hinc flent Cultores arva benigna suos.  
Hinc raptos plorant sacros sacra templa Ministros,  
Hinc flet Doctores plebs studiofa suos.  
Omnia mæror habet: lacrymæ, suspiria, fletus,  
Questus corda regunt. Omnia mæror habet.  
Cum Phœbus, Princeps Naturæ, luminis author,  
Per certos ducens tempora lapsa gradus.  
Obductus nimium nigro velamine clara  
Obruta terrificis nubibus ora tegit,

Omnia

Omnia tristantur tristi mærore perempta,  
Nam r apto solis lumine plausus abit.  
Lemma proinde refert: Hic squallent singula luctu,  
Omnia funestus pectora mæror habet  
Sic quoque dum fugiunt jucundi sidera plausus,  
Tristitia que gravis nubila tetrica ruunt;  
Dum pestis nigro vestit velamine terram,  
Scilicet immitti corpora falce metens:  
Quot non cernuntur gemitus, suspiria, planctus?  
Quot non lacrymulæ lumina clara rigant?  
Ut recte dicas: Hic squallent singula luctu.  
Omnia funestus pectora mæror habet.  
Illud testatur tua fors, o mæsta Thoruna  
Id docet exemplum, mæsta Thoruna tuum.  
More fluentis aquæ lacrymæ per lumina currunt;  
Dum loquimur sortem, mæsta Thoruna, tuam.  
Te Domini tetigit manus: En gravis ira IEHOVÆ  
Projicit in cives fulmina dira tuos.  
Te Domini tetigit manus: O lacrymabile fatum!  
En volat in vicis pestis iniqua tuis.  
Ecce necat justos, doctos, juvenesque senesque,  
Ecce necat cives, mæsta Thoruna tuos.  
Hinc mare mærorum vicos vehementer inundat,  
Hinc resonant planctus nocte dieque graves.  
Eheu! quam magnum pestis rapidissima vulnus,  
Inflxit nuper, mæsta Thoruna, Tibi.  
Dum rapuit Juvenem summa pietate decorum,  
Pingebat malas cui juvenile decus.  
Hic magno dulces Musas ardore colebat,  
Hic Præceptores semper honore tulit.

Spes

*Spes fuit una suæ Matri KELBELIUS, ille  
Permultos annos vivere dignus erat,  
Plangunt Pierides properata morte peremptum  
Cultorem, cuius texerat ardor eas.  
Plangunt discentes cuncti planguntque Docentes,  
Ipsum Civis quod tumuletur humo.  
Plangit profuso lacrymarum rore Genitrix.  
Quod spes una truci peste perempta cadat.  
Plangit Frater amans, plangunt vehementer Amici,  
Intret quod gelidam, dulcis Amicus humum.  
Sed cessent lacrymæ, cesset querimonia quævis,  
Vixit is, & residet latus in arce poli.  
Tu pariter cohibe lacrymas, Matrona cadentes,  
Desine cor gemitu sollicitare tuum.  
Mortuus haud tuus est Natus, sed in æthere vivit,  
Non periit præiit tutus ad astra poli.  
Nos tamen exstruimus defuncto morte beata,  
Hæc monumenta simul pectore, mente pia:  
Hic jacet in tumulo Juvenis virtute decorus  
Insigni coluit qui pietate Deum.  
Qui Præceptores justo dilexit amore,  
Qui coluit Musas nocte dieque vigil,  
Præmia virtutis veræ præclara tulisset,  
Si non oppressus morte rapace foret.  
Ast Tu qui transis cursu properante, Viator,  
Dic Tu, defuncti molliter ossa cubent.*

